





M

ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

H. T.  
DECANVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVRNBERGERVS

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, MVSÆI ANATOMICI ET NATVRAE  
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-  
MICÆ LIPSIENSIS SODALIS,

DISPVTATIONEM IN AV-  
GVSTALIÆ MEDICAM

AD D. XV. MART. A. CCCLXXXVII.

INDICIT

PROLVSIONE PRIMA

DE

VNGVIVM ET PILORVM SORTE  
POST FATA.

ORDINIS URNIGORUM  
IN ACADEMIA VITTEMBERGENI

CHRISTIANUS FREDERICUS  
URNEREGEERS

CARTOGRAMA MUNICIPALIS, AUTOMATON & MACHINES MECANIQUE  
ALYTHEA, OCEANOGRAPHIA, MAPPAM MUNDI ET MAPPAM  
CARTOGRAPHIA MUNICIPALIS, SOCIESTATIS OCCONIO  
MAPPAM MUNICIPALIS COPIA

ANNA DE MONTEATHUS  
EXCELSIORA PETRA

ANNA DE MONTEATHUS  
EXCELSIORA PETRA

ANNA DE MONTEATHUS  
EXCELSIORA PETRA

---

## DE VNGVIVM ET PILORVM SORTE POST FATA.

**P A R S P R I O R.**

---

**Q**uamvis Oeconomiae microcosmicae ipsa tandem aliquid tamen est maximopere, quod neque futurae mortis praefagientia pericula, neque iam factae mortis signa extra omnem dubitationis aleam posita sint. Atque ita sane est. Quo enim statum corporis animalis viui a statu corporis mortui rite discernas, per plures saepe mihi crede ambages, perque plures antea in subsidium vocatas notas definiri debet. Valet etiam hic, quod vulgo abiit in proverbiū: *Cauendum sedulo, ne vni et soli signo fidas.* Absit ideoque, ut statim exanimem, vereque vita functum iudices, quem, siue totum os pallore perfusum, aut membra frigore contracta stipitis instar proiectum, siue sensu carentem et motu destitutum, siue non amplius neque vocem edentem, neque trahentem spiritum, siue denique pulsus expertem conspicis. Inter omnes namque constat, adeo esse fallacia haec singula signa, ut facile possint in Asphyxia seculo male imponere, et in horrendum funeris praematuri crimen praecipitare. Quae quidem res vel his ipsis temporibus nostris tam gravis omnino momenti visa est



Medico-Politicis, ut paulo accuratius in eam inquirerent, ipsamque vltro citroque expenderent. Ad cadasuero sum propterea odorem illi nempe praecipue prouocant, eamque incipientis aequi putredinis ac vere factae mortis certissimum fidissimumque criterium esse uno fere omnes ore perhibent. Interim tamen putandum non est, hanc esse notam omni exceptione maiorem, cum constet, absente licet foetore et putredine ad ipsius nihilo secus mortis quoque absentiam nullam ideo valere consequentiam. Quibus adde, quod in singulis corporis animalis partibus quaedam post fata eius occurrant phaenomena, quae huius quoque notae vim haud parum infringere videntur. Illustre scilicet huius rei exemplum vngues et pili exhibent, quos non solum post fata quam diutissime, perque plures adhuc annos, ne dicam numerosa lustra incolumes vegetosque conseruari scimus, verum etiam crescere adeo, et in longitudinem produci, secundum vulgarem fertur opinionem.

Circa vngues nimirum, quos haud ita pridem ex muco Malpighiano inter Epidermidem ipsam callosam quasi factam, eumque ipso fere conferruminatam \*) in massam solidam densissimamque coacto ortum capere demonstrauimus, praeter eximiam illam, qua prae caeteris corporis animalis partibus multum illi pollent et fibrarum densitatem, et ficitatem, ut respectu vtriusque proprietatis vel ipsa durissima ossa superent, meliorem sane rationem magisque genuinam allegare non possumus. Quod si vero pili etiam in classem solidorum duriorum potius quam molliorum sint collocandi, cum laxiori, et a se inuicem magis dissoluto contexto cellulo so vix ac ne vix quidem gaudeant, quamvis caeterum tenuissima tantum fila

c) *Meleremata super digitorum vngibus.* 1786.

fila repraesentent, certe iam propterea necessarii interitus efficiaciam eos paulo diutius eludere posse apparet. Quibus adde, quod pingui illo viscidoque sinegmate, quo in statu naturali ipsa cutis salubriter inungitur, iidem illi sint perpetuo perfusi, cui diuturnior eorum post fata perennitas tanto magis in acceptis referenda esse videtur, cum euictum sit, oleo non minus, quam balsamis magnam inesse corpora a carie praeseruandi potentiam.

Tantum autem abest, ut hos aequae atque illos a communi interitus lege prorsus immunes esse opineris, ut potius perire tandem aliquando partem vtramque iure meritoque existimes. Interim tamen circa hanc quoque metamorphosin septicam insignis quaedam datur differentia, ut vngues atque pili non tam in tereum tabum diffluant, quam potius in leue polleni, inanemque puluerem fasscant. Quo magis vero prius hocce phaenomenon et vsu et ratione egregie confirmatur, tanto profecto plures serupuli sese obiiciunt, si de incremento vtriusque partis post fata adhuc superstite scilicet, quaestio moueat.

Postquam iam factum est corporis animalis quoad omnes suas partes incrementum illud, quod ad *ακρην* aiunt, ut neque quoad circumferentiam sive amplitudinem, neque quoad longitudinem amplius excrescat, pilis tamen et vnguibus praecipuum esse facultatem relictam, ad extremam usque senectutem perpetuo crescendi, utque praecisi semper iterum repullulent, nemo esse poterit, quem fugiat. Hancque increscendi virtutem in pilis esse praeprinis conspicuam, vel ipsae vetulae testantur, quae frequenter barbatae euadunt, quamuis tamquam puellae iuxta atque mulieres quondam imberbes extiterint. Quo usque porro in corpore animali flamula vitalis adhuc micat, eo usque singularem ipsi superesse

potentiam, partes semper nouas, si quae desiderarentur, quae forte amissae fuerint, resingendi, inter omnes constat. Hanc Medico-Philosophi recentiores *vim reproductionis* appellant, et *nitus formativus sive virtutis plasticae*, per vniuersum disseminatae, speciem esse perhibent.<sup>b)</sup> Quotquot igitur obseruatae sunt vulnerum simplicium consolidationes, aut iacturarum substantiae redintegrations, aut membrorum praecisorum coalitus, aut dentium bis terque quaterque factae reparations,<sup>c)</sup> aut vasorum et neruorum erosionibus antea corruptorum recuperationes,<sup>d)</sup> aut ossis tibiae cariosae dissociati et excisi renouationes,<sup>e)</sup> aut Scroti denique aliarumque pluriū partium restitutions, tot mira habes exempla, hanc reproducentem in Oeconomia animali vim luculenter illustrantia, validiusque confirmantia.<sup>f)</sup> An vero partibus iisdem virtus haec maiora et noua incrementa capiendo post mortem quoque sit residua, inuestigatione omnino digna esse videtur quaestio, antequam hac ipsa de re quid iudicandum sit, rite possis decernere. Secundum vulgi quidem opinionem, qui ad paradoxa quelibet lubenter stupet, et cui vehementer arrident miracula, neque improbabile neque impossibile hoc esse

b) Vid. BLUMENBACH über den Bildungstrieb und das Zeugungsgeschäfte, Goetting. 1780.

c) Eiusd. Geschichte und Beschreibung der Knochen. Goetting. 1786.

d) Vid. PETR. MADACIS Dissert. de modo regenerationis vasorum. Wittebergae, 1770 habita. Id. MICHAELIS über die Regeneration der Nerven. Cassel. 1785.

e) Vid. TRILLERI Dissert. de mira naturae solertia in reparandis dannis; quae inserta est Opusculis Medicis, Vol. II. p. 286.

f) Vid. FRANKII DE FRANKENAV Disp. medic. de restitutione in integrum, quae inserta est Satyris medicis. Lipc. 1722. p. 499.

esse existimatur. Quia quidem de re quid veri ipsi falsique insit, iam quaedam differere nobis est propositum.

In cadaueribus hominum pili aequae atque vngues, quod primum eorum erat sese manifestans phaenomenon, intemeratam suam tam fabricam et structuram, quam formam et figuram quam diutissime retinent, ac serotinam praecum reliquis partibus experiuntur corruptionem. Postquam enim animalis machinae semel extincta est flammula vitalis, virtus illa cohaerendi ab ipsa natura creatrice implantata, qua partes scilicet inter se rite continebantur, simul perit, quo facto et liquidae et firmae partes serius ocyus in prima sua sive elementaria principia sponte resolui, inter omnes constat. Atque haec etiam illis atomis inscripta lex est, et a nisu liberandi se a vinculis, sive compedibus quasi, quibus coercebantur, quem repulsum dicunt, dependet. His vero non obstantibus partim integra hominum et brutorum cadauera, partim singulæ eorum partes sive cauiss quibusdam externis accendentibus, sive variis encheiresibus et adminiculis adhibitis, satis diu quidem, ne dicam per plurima saepe saecula possunt a necessaria tali corruptione vindicari. Testantur hoc egregie non soluna Mumiae, et praeparata anatomica, et alia musæorum splendida cimimelia, verum etiam cadauera e sepulchrorum tumulis post multam saepe annorum seriem interpositam absque tetrae putredinis labe effossa. Quod si vero vnguibus atque pilis e caeteris corporis animalis partibus hoc sit praecipue, et quasi per eminentiam proprium, vt licet nullum praedictorum antisepcticorum adminiculorum accesserit, spontaneæ nihilo fecius post fatal destructioni quam diutissime resistant, quaestio omnino mouetur, cuinam potissimum cauiss singularē hoc sit adscribendum phaenomenon.

Primo



Primo quidem intuitu partim a propria particularum elementarium, nec non glutinis eadem compingentis conditione non minus quam proportione, partim a maiori auctioque gradu nisu in cohaesionem mutuam haec proficisci debere videntur. Ex quo consequitur, vt nulla possit hoc debeatque meliori ratione, aut via omnino accuratiore et compendiosiore definiri, quam per analysin chemicam. Quemadmodum autem ex analogia facilis negotio poteris has ipsas partes constituentes subolere, quando v. c. examen cornu cerui chemicum ad vngues nostros, cuius vtriusque corporis adeo perfecta est conuenientia, velis transferre, ita quin per ignem nexuum modos ad vnguem demonstrare vnuquam valeas, omnino dubitandum est. Et quid queso opus est, vt altius repetas causas, aut aliunde et operiosius conqueriras eas, quae magis iam sunt in aprico positae?

Accedunt insuper historiae, a viris non sublestae sane fidei passim excitatae. Quantum nimurum primum ad vngues, ipse *Illustris ac Celeberrimus HALLERVS* citante scilicet, quod mireris, *Clarissimo MAYERO* retulisse dicitur, in cadauere per balsama siue vnguenta aromatica ultra ducentos et quinquaginta annos conseruato, vel vt aiunt, pollincto, toties eosdem repullulasse, quoties eorum luxuria, quod fieri debuerat quotannis, resecaretur.<sup>g)</sup> Sunt praeterea, prout relatum legimus hinc inde in tumulis ditionis cuiusdam Polonicae prope Sileiam non multum abhinc cadauera a Medico quodam reperta, quae, quamuis diu antea fuerant sepulta, ac ne quidem pollincta, perfecte tamen intaminata visa sunt. Horum integratis causa pro peculiari tumorum, vbi illa exposita erant

g) Vid. *MAYERS Beschreibung des menschlichen Körpers.* I. Band. p. 204.

erant, situ partim aëris externi accessui denegato, partim spontaneae exsiccationi sensim paulatimque factae, adscribitur. Ab autoptis testibus idem Medicus relatum acceperat, in uno alteroque eorum cadauerum barbae ad pectus usque productio-  
nem, post inhumationem demum, nec antea factam, sive obseruatam.<sup>4)</sup> En! si ita lubet, facta, quae dicuntur histori-  
ca. Quantum vero quoquo fides eorum periclitatur, aut peni-  
tus corruit, si perpendas, utrumque historicum, praeterea  
quod aliorum tantum relata retulerit, neque rem ipsam oculis  
usurpare, neque eam satis accurate examinasse.

Angustiores vero quibus hæc pagellæ circumscriptæ  
sunt limites nos impediunt, quo minus haec iam vberius pos-  
sint exponi. Quapropter ea, quæ de singulare hac vnguium  
pilorumque post corporis animantium fata phænomena adhuc  
eruenda sunt, in aliam propediem oblaturam occasionem pro-  
crastinamus. Transeundum potius nunc est ad commendationem  
*Candidati Medicinae Dignissimi*, cuius in honorem  
haec pauca sunt prolusa, qui, quales vitae studiorumque suo-  
rum iniicit rationes, ita nobis Ipse exposuit:

---

**E**go CHRISTOPHORVS HENRICVS DANZIVS, in lucem sum  
editus, mense Nouembr., anno, quo viuimus saeculi XLVII. Graef-  
fenauiae in terris Schwarzburgitis. Patrem veneror IOANNEM LVDO-  
VICVM, tunc temporis Principis a cubiculis ministrum, deinde vero di-  
versorii

h) Vid. Gruners Almanach für Aerzte und Nichtärzte auf das Jahr 1787.  
p. 13.



versorii Neohusani hospitem; matrem vero CATHARINAM ELISABETHAM ex gente FRÖBELIANA natam. His optimis parentibus, quorum cineres adhuc pie veneror, semper curae fuit cordique, ut ab ineunte aetate prima religionis christiana rudimenta apud M. SERGELIVM, ecclesiae Neohusanae pastorem meritissimum, imbiberem. In literis humanioribus eodem usus sum praeceptore. His ita imbutus a parentibus Domino WINDORFIO, medicinae honoribus ornando, Saalfeldiae traditus sum, qui me in arte institueret pharmaceutica; qua percepit aliquandiu apud eum commoratus sum. Inde discedens variis praefisi officinis fama haud incelebris, v.c. Gerae, Norimbergae, Osterfeldiae, Schaffstadii, praeципue Numburgi Loorberiana, Lipsiae Manzeliana, Erfordiae Tromsdorfiana. Lipsiae vero cum studio pharmaceutico per annum cum dimidio deditum me huius vitae generis taederet, literis potius operam dare, necum constitui, ea de causa, scholas Bosii priuatas anatomicas adii; praelectionibus, quas Exper. PLATNERVS habuit, physiologicas frequentavi. Hunc etiam logices et materiae medicae praecepta exponentem audiui. GEHLERVM scientias chemicas docentem sum secutus, LVDWIGII denique excursionibus botanicis interfui. Iam vero secessum querens, officinam Skeuditii tunc temporis venalem, iure ciuitatis rite acquisto, mihi addicendam curau. Cuins in possessione cum fortuna minus arrideret, septennio elapsa Zittauiam petii, ut ibi officinae praesessum Knispeliana. Hinc post triennium evocatus, Vitebergam me contuli, ut et officinae in hac vrbe florenti praeferer. Huius vero vitae pertaeus, ad altiora adspicrai studia, eamque ob causam anno praesentis saeculi octogesimo tertio a Viro Magnifico Illustr. b. FISCHERO, Iur. vtr. Doctore et Serenissimo Principi Electori ab appellationibus, clavo Academiae tunc assidente studiosorum numero sum adiecius. Tunc affidue Viris Experientissimis et de doctrinis medicis optime meritis affui, et quidem Magn. et Experientissimum D. BÖHMERVM

non

non sine summae voluptatis sensu therapiam et generalem et specialem  
 audiui exponentem. Experientissimo D. LEONHARDIO, Praesidi longe  
 grauissimo, cum praecepta chemiae, chirurgiae, pathologiae, medicinae  
 legalis, materiae medicae, artisque formulas conscribendi medicas expli-  
 caret, non sine largissimo fructu in me redundantate assedi, nec non ex  
 disputatoriis et examinatoriis tum theoreticis, tum practicis, quibus me  
 adscribi curauit, summam percepi utilitatem. Lectionum itidem Experi-  
 entissimi D. NÜRNBERGERI, h. t. Decani maxime Spectabilis, in anato-  
 miam, physiologiam, botanicam et diaetam, quas frequentauit, memoria  
 semper non nisi gratissima est. Quorum omnium Viorum in me amor,  
 quo me sunt amplexi, tantus est, qui verbis pro merito exprimi ne-  
 queat. Neque reticenda sunt Experientissimi LANGGUTHII in me mer-  
 ita. Is enim non solum, postquam in domum me receperat, ut essem  
 a manibus, fideliter mihi tradidit omnes chirurgiae partes, artem ob-  
 stetriciam, historiam naturalem et in genere et in specie mercantilium,  
 medicinam forensem, omnemque anatomiā, sed et priuatos inter pari-  
 tes erudituit, et tam bibliothecam, quam naturalium rerum collectionem  
 usibus meis aperuit. Is quoque occasionem praebuit, lectos aegrotan-  
 tium adeundo practicas acquirendi scientias, huiusque Viri in me merito-  
 rum memoriam nuzquam sum depositurus. — Ab ore quoque Summe  
 Venerabilis REINHARDI Logiten et Excellentissimi TITII physicien  
 theoreticam enucleantis pependi. Plantarum characteres eruditissime  
 me docuit Praeclarissimus et Consultissimus D. CHLADENIVS, in excursio-  
 nibus quas habuit botanicis. Quorum omnium memoriam, si unquam  
 delerem mente, ingratissimus merito essem habendus. Quae autem stu-  
 dia, ut prosequi valerem, SERENISSIMI ELECTORIS, PATRIS PA-  
 TRIAE longe Clementissimi munificentia factum est, ut stipendio su-  
 fientarer, quod in me collatum beneficium gratissimo semper agnoscam  
 animo. Iam vero examine feliciter superato nihil reliquum putauit,  
 quam



quam gratiosum Medicorum ordinem adire decentissimis precibus, ut  
me summis in arte honoribus condecorare velit. Cuius voti danna-  
tus, hoc tantum in me collatum beneficium semper animo me reculturum  
esse gratissimo sanctissime polliceor.

Feruet hic ardore laudabili, circa lectulos aegrotorum  
versandi et salutarem illis, quantum auguramur, opem feren-  
di. In Examine igitur ante aliquot hebdomadas cum Ipso in-  
stituto, nostrorum omnium adsensu probauit, esse eum doctri-  
nis illis ac scientiis, quae bonum Medicum ornant, probe suf-  
ficienterque instructum. Quamobrem dignus iudicatus est,  
qui in Medicinae Candidatorum numerum recipereatur, et qui  
summos in ea posset ambire honores. Hi etiam ipsi a me im-  
pertinent ritu et instituto Maiorum, postquam nouum idem-  
que ultimum doctrinae medicae specimen ediderit. Est Ipsi  
nempe adhuc ventilanda Dissertatio Inauguralis, *Vinorum al-  
borum metallici contagii suspectorum Docimiae curas re-  
petitas et nouas sistens* quam sub Praesidio *Viri Experiensissimi*  
**atque Excellentissimi IOHANNIS GOTTFRIED**  
**LEONARDI**, Collegae coniunctissimi, contra doctissi-  
morum Opponentium dubia mota defendet. Huic solemni-  
tati indicitus est dies Iduum Mensis Martii, ad quam RE-  
CTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITEM IL-  
VSTRISSIMVM, PERILLVSTREM LIBERVM BARONEM, ACADE-  
MIAE PROCERES, BONARVM LITTERARVM FAVTORES, OMNES  
AC SINGULOS, neque minus COMMITITONES GENEROSISSIMOS  
AC NOBILISSIMOS omni qua par est obseruantia, inuitamus.


P. P. Vittebergae Dominica Oculi A. R. S. c:loccclxxxvii.




Wittenberg, Diss., 1786-88



f  
Sl,



B.I.G.



ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

H. T.

D E C A N V S

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVRNBERGERVS

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, MVSÆI ANATOMICI ET NATVRAE  
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-  
MICAE LIPSIENSIS SODALIS,

DISPUTATIONEM IN AV-  
GVRALLEM MEDICAM

AD D. XV. MART. A. CIOCCCLXXXVII.

INDICIT

PROLVSIONE PRIMA

DE

VNGVIVM ET PILORVM SORTE  
POST FATA.